



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Georgii Calixti S. Theol. D. Et In Acad. Ivlia Primarii
Professoris Wiederlegung Der vnchristlichen vnd
vnbilligen Verleumbdungen/ damit Jhn D. Iacobus VVeller
ChurSächsischer Oberhoffprediger ...**

Calixt, Georg

Helmstedt

Symbolvm Athanasianvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36653

Qui verò dicunt aliquando fuisse *tempus quoddam*
vel seculum quum non esset, & priusquam generaretur
non fuisse, & factum ex non existentibus *sive ex nihilo*,
aut ex alterâ *præter divinam* substantiâ vel essentiâ, aut
creatum, mutabilem vel variabilem Filium Dei, eos
anathematizat sancta catholica & apostolica ecclesia.

SYMBOLVM ATHANA-
SIANVM.

Q Vicunque vult saluus esse, ante omnia opus
est, ut teneat catholicam fidem. Quam nisi
quisque integram inviolatamq; servaverit, absq;
dubio in æternum peribit. Fides autem catho-
lica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Tri-
nitatem in unitate veneremur, neq; confunden-
tes personas, neque substantiam separantes. Alia
est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus
sancti. Sed Patris & Filii & Spiritus sancti una
est divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas.
Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus.
Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spi-
ritus sanctus. Immensus Pater, immensus Filius,
immensus Spiritus sanctus. Æternus Pater, æter-
nus Filius, æternus Spiritus sanctus: & tamen
non tres æterni, sed unus æternus. Sicut non
tres increati, nec tres immensi: sed unus increa-
tus, & unus immensus. Similiter omnipotens
Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus
sanctus: & tamen non tres omnipotentes, sed u-
nus

aus omnipotens. Ita Deus Pater, Deus Filius,
Deus Spiritus sanctus: & tamen non tres dii, sed
unus est Deus. Ita Dominus Pater, Dominus
Filius, Dominus Spiritus sanctus: & tamen non
tres domini, sed unus est Dominus. Quia sicut
singulatim unamquamque personam Deum ac
Dominum confiteri Christianâ veritate com-
pellimur; ita tres Deos aut tres Dominos dicere
catholicâ religione prohibemur. Pater à nullo
est factus, nec creatus, nec genitus. Filius à Pa-
tre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.
Spiritus sanctus à Patre & Filio, non factus, nec
creatus, nec genitus, sed procedens. Unus ergo
Pater, non tres Patres; unus Filius, non tres Fi-
lii: unus Spiritus sanctus, non tres Spiritus san-
cti. Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius,
nihil majus aut minus: sed omnes tres personæ
coæternæ sibi sunt & coæquales ita, ut per om-
nia, sicut jam suprâ dictum est, & Trinitas in u-
nitate, & unitas in Trinitate veneranda sit. Qui
vult ergo salvus esse, ita de Trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad æternam salutem, ut
incarnationem quoque Domini nostri Iesu Chri-
sti fideliter credat. Est ergo fides recta, ut cre-
damus & confiteamur, quòd Dominus noster Ie-
sus Christus Dei filius, Deus & Homo est. Deus
ex substantiâ Patris ante secula genitus; & homo

ex substantiâ matris in seculo natus. Perfectus
Deus, perfectus homo, ex animâ rationali & hu-
manâ carne subsistens. Æqualis Patri secundum
divinitatem, minor Patre secundum humanita-
tem. Qui licet Deus sit & Homo, non duo ta-
men, sed unus est Christus. Unus autem non
conversione divinitatis in carnem, sed assumptio-
ne humanitatis in Deum. Unus omnino, non
confusione substantiæ, sed unitate personæ. Nam
sicut anima rationalis & caro unus est homo; ita
Deus & Homo, unus est Christus. Qui passus est
pro nostrâ salute, descendit ad inferos, tertiâ die
resurrexit à mortuis, adscendit ad cœlos, seder
ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde ven-
turus est iudicare vivos & mortuos. Ad cuius
adventum omnes homines resurgent cum cor-
poribus suis, & reddituri sunt de factis propriis
rationem: & qui bona egerunt, ibunt in vitam
æternam; qui verò mala, in ignem æternum. Hæc
est fides catholica, quam nisi quisq; fideliter fir-
miterq; crediderit, salvus esse non poterit.

ANATHEMATISMI EPHE-
SINI.

I. Si quis non confitetur Emmanuelem ve-
rum Deum esse; adeoque sanctam virginem, quæ
incarnatum Dei Patris Verbum secundum carnem
peperit, Deiparam esse, anathema sit.

II. Si